



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

26. Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

parefecit. De re ipsa, totaque hac externa Christi veneratio-  
*Ad Ioan.* ne, quam in posterum hoc loco prohiberi Caluinus vult, in  
*cap. 12.* eiusdem historiae apud Diuum Ioannem repetitione, vbi  
 paulo neruosius Caluinus disputat, plenius disseremus; & pu-  
 tidas Caluini corruptelas, fauente Deo, illic aperiemus.

26. *Cenantibus autem illis accepit Iesus panem.*

*Christus  
 triplicem  
 Cenam per-  
 egit.*

*Luc. 22.*

**V**T tota Christi actio & doctrina in mysterio Eucharis-  
 tico quod hic Matthaeus alisque Euangelistae mira  
 verborum breuitate, sed magna rerum ac mysteriorum co-  
 pia describunt, dilucidè intelligatur, notandum ante omnia,  
 Christum hac vltima nocte mortalis vitae suae triplicem Coe-  
 nam peregrisse. Primam, qua stando paschalem agnum come-  
 debat, iuxta legis praescriptum, de qua discipuli dixerunt, *Vbi  
 vis paremus tibi comedere pascha?* Secundam, communem &  
 familiarem, in qua discubuit cum discipulis suis, qua variis in-  
 terpositis sermonibus de proditore, vt hoc loco; de alia qua-  
 dam contentione, vt apud Lucam, diu protraxit; & in qua po-  
 culum libatorum more gētis illius omnibus suis propinauit,  
 de quo Lucas ita scribit. *Accepto calice gratias egit, & dixit,  
 Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam  
 de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Ad quam etiam  
 secundam cenam pertinent verba Matthaei hoc capite, Dico  
 vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem il-  
 lum, cum illud bibam nouum in regno Patris mei.* Haec enim  
 verba prioribus simillima Christum ante Cenam Eucharis-  
 tificam dixisse ex Luca manifestè patet, vt postea, latius dice-  
 tur. In hac secunda cenam surrexit, & discipulorum suorum pe-  
 des lauit, vt est apud Ioannem, cap. 13. *Et cenam facta, sup. Pas-  
 chali; & paulo post, Surgit à cenam, & ponit vestimenta sua, &c.*  
 id est, surgit à communi & familiari cenam, quam more om-  
 nium Iudaeorum, finita solemnitate Paschali, cum suis cele-  
 brabat. Nam post hanc ablutioem pedum iterum recumbit  
 in cenam eadem, & turbatus spiritu, de proditore suo verba fa-  
 cit, vt prolixè narrat in seqq. ioānes. *Qui de tertia & Eucharis-  
 tica Cenam nihil quidè scribit, eo quod ceteri tres Euangeli-  
 stae ante illum eam plenè descripsissent. Addit tamen de Iuda,  
 Cum accepisset buccellam, exiit continud. Quod ad Cenam Eu-  
 charisticam pertinere nemini dubium est, qui Iudam Domi-  
 nici corporis participem fuisse agnoscit, quod clarè docet*

Augu

Augustinus tract. 26. in Ioan. & serm. 11. de verb. Domini, & Chrysoft. homil. de prodicione Iudæ. Quum autem hunc de proditore sermonem Matth. & Marcus discrete ante cœnam Eucharisticam, Lucas verò post illam ponat, duos priores Evangelistas verum ordinem seruasse. D. Ioannes postremò scribens quasi arbitrer definiuit, narrans Iudam accepta buccella continuo exiuisse. Quod ergo Matthæus hinc dicit, *Cœnantibus illis, & Marcus. Manducantibus illis, accepit Iesus panem, &c.* intelligendum est peracta iam secunda cœna familiari ac communi: quod expressius posuit Lucas dicens, *Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, &c.* id est, absoluta cœna communi. Quod in altera quoque huius Sacramenti parte factum fuisse dubitari non debet: tum quia diuelli vna pars ab altera non debuit, tum quia Lucas dicit, *Similiter & calicem.* Illud enim, *similiter*, non solum ad benedictionem & distributionem calicis, sed & ad temporis rationem ac similitudinem necessario referendum est. Hæc diligenter annotanda sunt; tum quia alij aliter exponunt, omnium Evangelistarum contextu non satis expenso; tum quia ad alia circa hoc mysterium intelligenda conducunt. Sic enim non solum à cœna Paschali noua Christi cœna, à figura veritas distinguetur, verum etiam à communi cœna, & communi pane ac vino, nouum & augustissimum mysteriũ seiungetur. Sic alia hæreticorum absurda refellentur, vt mox videbitur.

26. *Accipit Iesus panem, & benedixit.*

NOtanda hinc duplex circumstantia in facto Christi, vt postea de verborum sensu certius constet. Prima est quòd cœnam Eucharisticam & non Paschalem auspicatus, de quo apud Lucã dixerat, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patior*, vt illa verba Tertul. lib. 4. aduersus Marcionem, & Chrysoft. homil. 83. in Matth. exponunt, *accepit panem.* Accipiendo quippe hoc elementum, docet se in te accepta aliquid operaturum, nõ in sola mente aut speculatione præsentium discipulorum. Sic Matth. 15. multiplicatur septem panes, *accepit eos in manus.* Sic Ioan. 6. multiplicatur quinque panes, *similiter accepit in manus.* Sic hoc loco panem & calicem in manus accipiens, ostendit se circa res ipsas aliquid operaturum, non solum distribuendo, frangendo, & dando discipulis, sed etiam benedicendo. Altera igitur circumstantia est, quòd pani & calici benedixit.

Quod

Cœna Eucharistica circumstantia duplex.

1. Accipio panis in manus.

2. Circumstantia benedictio.